



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Oratio,|| Qva Nomine,|| Loco, Et Avthoritate || Serenissimi,
Ac Illvstrissimi || Principis & Domini, Domini Alberti,
Comitis || Palatini Rheni, & Vtriusq[ue] Bauariæ Ducis &c.
Cursus || Philosophici, ...**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1571

VD16 E 810

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10152224-1



~~721/3~~

J 372.

ERZBISCHÖFL.
AKADEMISCHE
BIBLIOTHEK
LEOSTR. 21
PADERBORN

Oratio,
QVA NOMINE,

LOCO, ET AVTHORITATE
SERENISSIMI, AC ILLVSTRISSIMI
Principis & Domini, Domini ALBERTI, Comitís
Palatini Rheni, & Vtriusq; Bauariæ Ducis &c. Cursus
Philosophici, ac Pædagogij in celeberrima Ingolstadtí-
ensi Academia instauratio, eiusdemq; causæ, ratio-
nes, atq; utilitates, breuiter & luculenter pro-
ponuntur: coràm frequentissimo Pro-
fessorum ac auditorum confessu,

XI. Cal. Martij. Anno
M. D. LXXI.
recitata

A

MARTINO EYSENGREIN SS. THEO-
LOGIAE LICENTIATO, PRAEPOSITO
Oetingensi, & Academia Ingolsta-
dianæ Procancellario.

INGOLSTADII
Ex Officina VVeissenhorniana.

M. D. LXXI.



M. D. LXXI

ORATIO DE
CURSV PHILOSOPHICO,
& Pædagogio, dicta à Mar-
tino Eysengrein.



IDEO, AVDITORES
generosi, nobiles, & omnibus Virtus
tum ornamentis clarissimi, uos ad m̃o
datum Magnifici D. Rectoris, & am-
plissimi Senatus Academici, sic satis
frequentes, in hunc locum, conuenisse, ut quid uobis
nomine, & loco sereniss. & Illustriss. Principis ac Do-
mini, D. Alberti, Comitis Palatini Rheni, & utriusq;
Bauariæ Catholici Ducis, Domini nostri clementiss.
proponendum sit, intelligatis. Cum uerò initio quoq;
orationis meæ uos attentis auribus & animis adesse
cernam; prætermisis omnibus ijs, quæ Oratores antè
ingressum rei, ad cõciliandos sibi auditorum animos,
emerendiq; fauoris gratia præloquuntur, rectà ad rem
ipsam, cuius causa conuenimus, accedam: Hoc unicū
à uobis, quantis possum, contendens precibus, ne me
ambitione aliqua, ad hasce dicendi partes sumendas
motum esse, suspicetur aliquis. Neq; enim mea sponte,
sed iussu sereniss. Ducis nostri, & Amplissimi Senatus
A ij Academici

ORATIO DE CURSV PHILOSO-

Academici auctoritate compulsus, onus hoc uiribus meis impar, quodq; alicui alteri, qui facultate dicendi me longè maior esset, utiq; non inuidissem, suscipere coactus fui: Vicitq; me reluctansem, & in hanc palæstram pertraxit mandantis auctoritas, cui non stare, piaculi loco à me ducitur.

Vos itaq; Auditores, æquo animo me dicentem ex hoc loco audiatis: & cum soleatis aliàs interdum benignas præbere aures, ijs, qui de rebus non maximi momenti ad uos uerba faciunt: Et iam itaq; audite, quæso, eodem fauore, eadem beneuolentia & attentione, me, hodierno die, nomine Sereniss. Ducis, nomine publico, nomine Amplissimorum Patrum Senatus Academici, ad uos, de rebus maximis, in quibus omnis Reipublicæ nostræ literariæ salus sita est, sine quibus etiam, neq; ab initio constitui, neq; postea conseruari in suo recto & salutari statu, Academia ulla possit: uis elicet de recto, uero, & omnium conuenientissimo studiorum liberaliũ ordine & *εὐταξία* (si quis modò in ijs progressus non poenitendos facere uelit) obseruanda, breuiter differentem. Et spondere ausim, quòd audiuisse me Sereniss. Ducis, & Amplissimorum Patrum Academicorum sententiam eade re explicantem non pigebit: dicto autem audientes fuisse, nullo unquam poenitebit tempore.

Præclare princeps ille ingenij & doctrine Plato, Auditores, omnib. qui Reipub. præsunt, duo omninò præcepta tenenda existimauit: Vnum, ut utilitatem ciuium
sic

PHICO ET PAEDAGOGIO. 2

sic tueantur, ut quicquid agant, ad eam referant, obliti commodorum suorum: Alterum, ut totum corpus Reip: curēt, ne, dum partem aliquam tueantur, reliquas deserant. Quapropter qui hanc ueterem, & toto orbe celeberrimam Academiam administrandam suscepere, intelligunt sibi omnes suorum consiliorum rationes, omnia studia eō reuocanda, ut hoc præclarissimū Reip: corpus, hæc nobilissima uirtutum studiorumq; Gymnasia, non solum integra inuiolataq; perdurent, uerum etiam ad laudem & prædicationem Illustrissimorum Bauariæ Principum, sempiterna omnium sæculorum memoria quam maximè floreat.

Equidem si boni Magistratus illud esse creditur, cū auxilia Reip: labefactari conuelliq; uiderit, ferre opem patriæ, succurrere saluti, suam salutem posteriorē communi salute ducere: illud certè, in hac publica studiorum administratione, omni animi prouisione curandum est, ut ea præsidia comparentur, quæ ad tuendam & propagandam huius celeberrimi Gymnasij dignitatem, authoritatem maximam habere creduntur: quod speratos, diuq; desideratos studiorum fructus, iucundissimè tandem aliquando boni omnes percipere possint.

Verum quæ præsidia ista tuendæ cōseruandæq; huius Academiæ ueteris dignitatis esse putem, dicet fortasse non unus aut alter: Audite, queso, diligenter, Auditores, & quæ dicturus sum, penitus in animis uestris pectoribusq; recondite. Tamesi plurima in hanc sen-

A iij tentiam

ORATIO DE CVRSV PHILOSO-

tentiam à uiris sapientibus afferantur; nihil tamen fir-
 mius, & ad diurnitatem memoriae stabilius, uiris sa-
 pientibus, unquam uisum fuit, quàm studiorum *ευταξία*
 Græcis dicta, hoc est, ordo consentiens, & definita of-
 ficiorū procurationumq̄ administratio, ut suo quæq̄
 loco, omnia non solum auditoribus explicentur, ues-
 rum etiam ne promiscuè ad studium Facultatum acces-
 dant, studiosi Adolescentes, cohibeantur. Nam τὰ καλὰ
 honesta & pulchra, uti trito iactatur prouerbio, non
 tantum δύσκολα difficilia & ardua sunt, Sed & ita *ευταξία*
 & ordine suo concinna, ut eo & præcipuè consent, &
 præclarissimum suum cum mereantur, tum retineant
 præmium.

Quis uerò illud nescit, hoc pulcherrimum orbis ter-
 ræ theatrum, has coelorum orbiumq̄ cœlestium incre-
 dibiles conuersiones, perpetuo quodam ordine con-
 tineri? Id certè præclare perspexit sapientissimus terræ
 cœlicq̄ machinator & effector, immensus ille sempiter-
 nusq̄ Deus, qui ea omnia, quæ mundus complexu suo
 coërcet & continet, quæq̄ in hoc altissimo cœli domi-
 cilio intercluduntur, perpetua quadam inter se conspi-
 ratione illigata esse uoluit, cum secus perturbari ac in-
 terire omnia necesse sit, si non mutuis quibusdam of-
 ficijs, & certa quadam consensione conspirationeq̄ in
 unum coëant. Equidem propter pulcherrimum, exactis-
 simum & saluberrimum illum ordinem, quo constat,
 totam istam rerum uniuersitatem, à Latinis Mundum,
 à Græcis *κόσμος* dictum esse, nemo est qui nesciat. Quid
 uerò

PHICO ET PAEDAGOGIO.

uerò illud: Quantum esse putabimus: quòd nec Ciuitas, nec Resp: nec ullum Imperium, quantumuis amplissimum, & magnis firmisq; præsijs munitissimum, diu se, absq; ^{εὐταξία} & ordine, tueri queat.

Floruerunt quondam Atheniensium & Rom: Respublicæ, clarissima orbis lumina, & Imperij magnitudine, & rerum benè gestarum fœlicitate, Barbaris exterisq; nationibus, & incultis gentibus terrori & admirationi fuerunt: At non aliam profectò ob causam, quàm propter ^{εὐταξία} hanc nostram, & quòd certos quosdam honorum & dignitatum gradus, in suis ciuitatibus perpetuos esse uoluerunt. Homo ipse certè ad imaginem Dei conditus, initio creationis per ^{εὐταξία} suam in gratia Dei dubio procul permansit: Postea autem per ^{εὐταξία} præuaricationis Diuini mandati, mox eadem Dei gratia, alijsq; donis, quibus diuinitus ornatus erat, iterum excidit.

Sed & post lapsum, humani corporis præstantem dignitatem, qua ratione alia potius integram incorruptamq; conseruaueris, quàm si inferior ista animi pars, in qua irarum existit ardor, superiori illi, quæ est rationis & intelligentiæ capax, subiecta substrataq; sit: Quòd si relicto præclaro rationis Imperio, effrenatas animi cupiditates, & appetitiones sensibus ingentibus, cupidè consecrati fuerimus, quis non intelligit præclaram hominis dignitatem, & hoc tam præstans animal, quod cuiusdam Diuinitatis est particeps, miserè interituum?

Quòd

ORATIO DE CURSU PHILOSO-

Quod si tantam auctoritatem, Auditores, nō in ipso homine solum, sed in publicis quoque & priuatis Re-
rum: officijs, habet ipsa illustris quaedam rerum dispo-
silio, quam *εὐταξία* dicimus: quantum hanc momenti,
apud publicas scholas & Gymnasia: in quibus iuuen-
tus, quæ potissima ciuitatis pars, & seminarium Reip:
pub: est, uirtutum studiorumque præsidjs ornatur: &
ad omnia doctrinæ studia comparanda, allaturam pu-
tatis:

Magna quadam & immortali propè laude ueteres
illi sapientissimi digni uidentur, quod non solū Resp:
benè moratas, sanctissimis & optimis legibus institu-
tas, firmissimisque belli opumque præsidjs præclare in-
structas, posteris nobis reliquerunt: Verum adhuc ma-
iori laude, amplioreque præconio digni mihi uiden-
tur, plerique Summi Pont: quod diuersis quidem tem-
poribus, eodem tamen animo ac uoluntate statuerunt,
ut in nonnullis Christianæ Reip: ciuitatibus, Principes
uiri & Magistratus, Academias & Gymnasia, pu-
blicis stipendijs institui, & scientiarum omnium Pro-
fessores: qui undequaque ad Philosophiæ, Medicinæ,
Ciuilisque Iuris, & Sacræ Theologiæ studium, amplissi-
mis priuilegijs, præmijs & honoribus, conuocatam
adulescentum frequentiam, diligenter ac studiose er-
rudirent: alii curarent.

Hæc certè mens quoque fuit, Illustrissimi Principis,
foelicis recordationis, Ludouici Bauariæ Ducis, hoc
consilium, hic sensus, hæc cogitatio, dum hæc præclar-
rissima

rissima doctrinarum domicilia erecta, maximis priuilegijs & immunitatibus à Pio II. Pont. Max: Año 1459: ornari petijt, & eadem uoluntate, insigni munificentia & regia prorsus liberalitate cohonestauit: Maximis etiam honoribus & præmijs, ex remotissimis terris, eruditissimos uiros, ut iuuentutem ab otio, languore, desidia, ad animi studiorumq; contentionem, sedulo perducerent, euocauit.

Qui sanè eruditiss. uiri, primi huius Gymnasij moderatores, ut id, quod sibi in tam præclaro erudiendæ iuuentutis munere, in tractandis honestissimarum artium disciplinis, in explicanda omni philosophiæ parte, unice propositum habebant, facilius tandem consequerentur: certum quendam ordinem tractandarum artium, ab omnibus religiosissime seruandum putauerunt, sine quo temere, & quodammodo perniciosè in tam præclaro opere, & Christianæ Reip: summe necessario, se uersaturos existimabant. Atque utinam, Auditores, ab hac nunquam satis laudata studiorum *εὐταξία*, ab hoc tam egregio ueterum ordine, ab illa certa quadam & definita docendi & discendi lege, nunquam deflexissemus: ampliores dubio procul, illustrioresq; fructus, ex hac artium contentione, optimi & nobilissimi Adolescentes, qui ex diuersis Europæ locis, tanquam ad mercaturam bonarum literarum, huc confluxerunt, ad sui nominis prædicationem sempiternam reportarēt: Nos uerò, qui hisce uetustissimis artium subsellijs præsidemus, qui hoc Gymnasium moderandum regemus

B dumq;

ORATIO DE CVRSV PHILOSO-

dumq̄ suscepimus, maiorem hominum de nobis opinionem, maiorem eruditionis nostræ commendationem, maiorem & huic Clarissimo loco authoritatem studio diligentiaq̄ nostra certè conciliaremus.

Sed multorum animos hac mea oratione non nihil perturbatos, depressosq̄ mihi uidere uideo, qui quàm nam tandem ^{εὐταξία} parturiam, quem studiorum nostruum ordinem tam idoneum, tam aptum & concinnū plenè de prædicem buccis, tacitè secum mirentur, & scire desiderent. Audite itaq̄, per Deum Immortalem, Studiosi, me Serenissimi Principis, ac Domini nostri Clementiss. uerissimam sententiam, consiliumq̄ plenum prudentiæ & fidelitatis, ea de re paucis uobis explicatè: Nihil uerò noui, nihil (quod multis uestrum falso persuasum audimus) inauditi, nihil quod meritò uobis molestum aut graue esse debeat possitue, nihil quod non antea quoq̄, Patrum & Antecessorum nostrorum memoria, In hoc celeberrimo Gymnasio fieri solitum erat, expectetis: Quin potius (ut, quod res est, clarissimè dicam) ad nunquam illam satis laudatam studiorum ^{εὐταξία}, non nuper natam, non à nobis, uti quidam fingunt, inuentam & excogitatam, sed iam olim in hac Academia receptam, & magna cum laude, superioribus sæculis diu retentam, ad eam, in quā, Maiorum nostrorum iucundissimam consuetudinem, Maiorum statuta, Maiorum leges, Maiorum studendi rationem minimè nouam, quasi postliminio reuocata omnia cupimus: Quod amplissimæ de nobis apud exte-

ras

ras nationes conceptæ opinioni tandem aliquando
quàm cumulatifsimè facere possimus satis.

Et ne uos longioribus ambagibus diutius suspens
os detineam, Auditores, hunc ipsum docendi &
discendi ordinem in suo hoc Catholico Gymnasio, ser
reniss. Vtriusq; Bauariæ Dux, deinceps quoq; obser
uari uult præcipitq;, quem in alijs totius Europæ florē
tissimis Academijs, Parrhisiensi uidelicet, quæ ab illo
Carolo, qui obrerū à se gestarū amplitudinem Magni
nomē, sibi in omnem æternitatem confirmauit, Anno
Dñi 1391. Coloniensi, quæ An. Domini 1398. Loua
niensi, quæ Anno Domini 1426. à Ioanne Duce Bra
bantix instituta est, summa cum laude maximoq; fruz
ctu, multis annorum curriculis retentum & obserua
tum esse, in confesso est. Quis uerò rem recta reputans
uia, in antiquissimo illo & laudatissimo Parrhisiensi,
Louaniensi, Coloniensi studiorum Cursu & ordine,
iure merito desiderare aliquid potest? Equidem cum
totam instituti huius rationem, non ex uanis fictisq;
rumusculis, sed oratione hac mea uerè intellexeritis,
non solum non improbaturos, sed potius auidè & ob
uijs, quod dicitur, manibus uerè saluberrimum hunc
benè proficiendi ordinem amplexuros omnes eos, qui
ad solidæ eruditionis fastigium seriò contendunt, in
Domino confidimus.

Is autem (ut paucis multa complectar) eiusmodi
est, ut, qui pares doctrina sunt studiosi, non promiscuè
& sine iudicio quaslibet, easq; diuersas, maxima cum

B ij studiorum

ORATIO DE CVRSV PHILOSO-

studiorum iactura, sed potius easdem, ab eodem quoque præceptore audiant lectiones: adeoque Grammaticæ studiosi suum proprium professorem, Humanitatis studiosi suum proprium professorem, Rhetoricæ & Eloquentiæ studiosi suum proprium professorem, & eum celebrem quidem habeant, quem audire, in rebus dubijs consulere, & sub eo ueluti Duce studiorum strenuè militare debeant & possint. Quid uerò uideatur uobis, Auditores, de hoc studiorum ordine, quem tyrones artium liberalium seruare deinceps debebunt? Meo sanè iudicio, nemo, qui pueritiæ studijs rectè consultum cupiet, desiderare hic meritò aliquid poterit. Sed audiamus & reliqua, ea nimirum, quæ ad ipsam Philosophiam pertinent.

Illam & uniuersam quidem, Auditores, hoc ordine deinceps pertractabitur, ut Logici à Physicis, Physici à Metaphysicis, lectionibus & præceptoribus distincti sint: Et qui unius facultatis auditores sunt, temerè se ipsos ad aliam audiendam non ingerant: Habeantque omnes certas & distinctas horas, Disputationibus, cæterisque Scholasticis exercitationibus definitas, sine quibus omnino paruum aut exiguum, ex Humanitatis Philosophiæque studijs adolescentes fructum reportare poterunt.

An non uerò, Auditores, pulcherrima illa & expeditissima ratio est, in artibus liberalibus & philosophia maximos faciendi progressus? Equidem patrum Maiores nostri & Antecessores, cum hoc benè intelligerent, studiisque

studijſq; Adolescentum optimè conſultum cuperent, eandem aut non diſſimilem certè docendi diſcendiq; Methodum, olim in ſtatutis ſuis, quæ etiamnum penes Inclytum Collegium philoſophicum manent, præſcripſere. Euolui eum ueterum ſtatutorum librū hiſce diebus, dum hoc negotium tracto, & eximiã profectò Maiorum noſtrorum prudentiam, ſingulareq; in erudienda iuuentute admiratus ſum ſtudium. De præhēdi enim eos iam olim decreuiſſe, ut Artium ſtudioſi certas diſtinctaſq; lectiones habeant: Vt Grammatices Profeſſor cum ſuis auditoribus repetat: Vt Rhetoricæ & Dialecticæ, ſed & Philoſophiæ Profeſſores eadem Repetitionis, & alia eius generis utilia exercitia nō intermittant: Vt tertio anno Curſus philoſophici Metaſphyſica prælegatur: Vt qui hūc literarum ſtudioꝝ gratia, à parentibus tanquam ad bonam eruditionis mercaturam, amandantur, ne turpi otio, deſidiaq; a præclaro ſtudioꝝ curſu auocentur, Academicis lectionibus intereſſe cogantur: Vt qui ſe ad primam illam in philoſophiā lauream conſequendam comparant, prius in multis uariſq; diſputationibus diu multumq; uerſati ſint, ne contumelia aliqua, tam inſigni Philoſophiæ Inſtituto, quorundam impunitate & licentia inferatur.

Hæc ueteres illi Philoſophiæ Doctores, Patres uenerandi, Anteceſſores noſtri, iam olim & decreuiſſe & obſeruāſſe, pagina 25. & 26. & 40. ſtatutorum inclyti Collegij Philoſophici, clarè teſtantur. Ne quis nouitas

ORATIO DE CURSV PHILOSO-

tis titulo pium hunc & longè saluberrimum, docendi discendiq; ordinem, studiosæ iuuentuti exosum reddere fortè tentet.

Atqui non alium uobis, quàm hunc ipsum ordinem studiorum proponit sereniss. Dux, Auditores, Non nouum iugum ceruicibus uestris impositum, non libertates & immunitates ueteres uobis ereptas, nō nouarum legum onere aliquo grauiore liberum hoc Gymnasiū pressum, sed leges tantum inclytæ Facultatis Artium factas tectasq; cupit. Quas autem leges? Antiquissimas leges, iam olim ab ipso Collegio philosophico usurpatas leges, a ueteribus artium liberalium Doctoribus in hoc Gymnasio latas: à Principibus Bawariæ confirmatas, usu multorum sæculorum roboratas: In quas ipsas etiam, quotquot in hodiernam diē professores philosophiæ præsentis cernuntur, sanctè iurauerunt: Has, inquam, seruatas, uel, si mauis, postliminio quasi reuocatas opt. & sereniss. Princeps noster, uerè Pater Patriæ, non aliam sanè ob causam optat, quàm ut honori Academiæ & studiosorum, qui ex uarijs hinc inde locis, uberioris ingenij cultus capiundi gratia, indies huc confluunt, quàm rectissimè prospiciat. Quo sanè nomine ipsius sereniss. Cel. & de Rep. nostra literaria optimè meretur, & nos omnes ita sibi meritò deuincire debet, ut hanc salutarem studiorum renouationem, hancq; docendi discendiq; commodissimam methodum & εὐτοσίαν certatim omnes & singuli tam promouere debeamus, quàm honori scholæ

&

PHICO ET PAEDAGOGIO. 7

& profectui studiosorum benè consultum cupimus.

Nam & aliàs in rebus humanis sic ferè comparatum uidemus, ut ex minimis initijs ad summa fiat progressio.

Sapiens certè Architectus, qui opus aliquod dignū ætate, existimatione, sua authoritate exædificare peroptat, prius sitne firmum stabileq̃ fundamentum, animo ratione q̃ lustrat, quo iacto, parietes & muros erigit, & ad extremum manum præclaro operi adiiciens, totum ædificium insigni conuestit tecto. Sic etiam in percipienda excellenti aliqua doctrina, ingenuaq̃ artium optimarum cognitione comparanda usuuenire uidemus, ut cum primis diligenter cognitis perceptisq̃ Grammatices, Humanitatis & Eloquentiæ studijs, tum demum ad eximium illud Philosophiæ studium magna quadam animi contentione aspirent studiosi: Et in uanaquaq̃ philosophiæ partium comparanda, sub uno præceptore & ueluti studiorum Duce, tam diu commorentur, donec in ea præclare exercitati doctiq̃ cum insigni fructu & commodo, ad maiora pertractanda, præceptorum cōsilio & authoritate, transferant se aliquando. Quod si id non fiat, sed promiscuè pluribus simul uacare Candidati philosophiæ uelint, nō uideo certè, quomodo in ullo genere scientiarum, docti excellentesq̃ euadere queant: Vis siquidem humani ingenij, & hæc præstans intelligendi facultas, nobis à præpotenti illo Deo ingenerata, angustioribus terminis circumscripta est, quàm ut tam distinctas, & inter se maximè differentes facultates, uno tempore percipere possit.

ORATIO DE CVRSV PHILOSO-

possit. Et quamuis omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, commune quoddam uinculum habeant, & quasi cognatione quadam inter se contineantur: Non tamen illarum omnium perceptio, uno eodemq; tempore iuuentuti tradi debet: Cum fieri nullo modo possit, ut ex illa laudatarum omnium artium procreatrice quadam & quasi parente Philosophia fructum iustum percipiat is, qui diu multumq; in literarum humanitatisq; studijs prius uersatus nõ fuerit: Nec idoneus Physicæ auditor esse possit, qui non solum Logicam forsasse, sed ne quidem humaniores literas, primis, quod aiunt, labris degustarit.

Toto itaq; coelo errant (ne grauius aliquid dicam) pessimeq; sibi consulunt, qui uel ambitione, uel, nescio qua, aliade causa, in hoc ordinatissimo studiorum cursu, multa transuolant, quasi sua præcipiti festinatione, citius ad apicem eruditionis & sapientiæ peruenturi sint. Neq; enim mehercule in scalis supernos gradus antea licet attingere, q̄ quis per inferiores, adeoq; infimos ascenderit: neq; in structura ædificij prius de tecto inducendo deliberatur, q̄ parietes erecti sint, neq; parietes eriguntur, q̄ iacta fuerint fundamenta. Hoc ipsum etiam non obscure declarant ea, quæ in agricultura cernuntur: quippe ubi & menses & uindemiæ nõ nisi suo quodam tempore, idq; iustis laboribus antegressis, colligendæ ueniunt. Quod si ordinis tanta est uis, tantaq; necessitas, in rebus etiam non adeo magnis, ut sapientissimi quicq; senserunt, & ipse Peripateticæ

icae Philosophiae princeps Aristoteles comprobauit, quando praeclara quadam mentis agitatione excitatus, dum Mundi naturam explicare uellet, eum pronuntiauit esse τῶν, quis, quaeso, sit tam ab omni mēte, sensuq̄ communi alienus, ut in re longè maxima, in praeclarissimo ingeniorum, animorumq̄ cultu, constantē ac perpetuum quendam ordinem, uel omnino negligendum, ut inutilem, uel minus accuratè persequendum, ut non admodum necessarium, arbitretur? Praesertim cum hic artes plurimae, quae mutuas conferunt operas, mirabili serie, ac ueluti aurea illa Homeri catena, quam arctissimè inter se cōfertae, contextaeq̄ cernantur: ita quidem, ut ad earum fastigia, quae ob argumenti dignitatem nobilitatemq̄ Superiores uocantur, nisi per inferiores disciplinas uel omnes, uel certè plerasq̄, tanq̄ per gradus quosdam, euadere minimè liceat.

Equidem hac serie, hoc ceu filo, cum infimae hae, tum ampliores ac superiores illae colligatae sunt, ut earum unam aliquam nemo possit exacte perdiscere, nisi per omnes eius partes, eoq̄ ordine, quem unaquaeq̄ proprium habet ac peculiarem, fuerit progressus. Quare non est, cur quis temerè ac falsò sibi polliceatur, ex ordinis inuersione, aut praeteritione importuna nimisq̄ festinante, se uel maiores, uel maturiores in studijs progressus facturum.

Nec hoc de ordine solum, sed & de temporis ratione audiendum est. Nam uti rosas non modò ager,

(quod prouerbio dici solet) uerum etiam tempus pro-

C ducit:

ORATIO DE CURSV PHILOSO-

ducit: ita quoque, ac multo quidem magis, in capiendo ingenij cultu, si fructus expectationi respondere debeant, ætate, ac numero dierum cum primis est opus: Vt reuera qui ad altiorem & solidiorem uirtutis, doctrinæ, sapientiæ, & gloriæ claritatem aspirat, uoti sui, foelicius citiusque non reddatur compos, quam si rectum hunc, approbatum & foelicem studiorum cursum & ordinem, iam olim præscriptum & obseruatum, nunc uero perferen. Duce reuocatum, diligenter teneat.

Ex quo sanè, si nullus alius fructus perciperetur, quam unicus iste, quod per eum studioforū animi honestissima liberalissimaque occupatione detinentur, uicissimque à turpi otio atque à uitijs, iucundissime auocantur, illud profecto nobis sufficere deberet. Quis enim nescit adolescentiam multo facilius in uitium flexi quam in uirtutem? Quis ignorat malorum omnium parentem foecundissimam esse otium? lunge has duas pestes, & quem in Rep: saluti reliquum locum putabimus?

Hoc igitur qui uiderit, nisi ætatis illius furor & fluctuantis animi æstus, liberali & honesto aliquo studio comprimatur, eam nullo negotio in omne scelus ac flagitium ruituram, is profecto etiam intelliget, tanti esse hunc studiorum ordinem & *ευταξία* faciendam, ut ea sublata interire Reip: nostræ literariæ mores, & omnia iura diuina humanaque perturbari necessum sit.

Quandoquidem in quocumque tam publico quam priuato literarum Gymnasio, hic ordo neglectus fuerit,

rit,

PHICO ET PAEDAGOGIO.

rit, in eo neque pudicitiam, neque temperantiam, neque aequitatem, neque denique aliquam uirtutem posse consistere certum est. Et contra autem & hoc tacere non debeo, huiusmodi exercitio, quod studiorum ordo ille, quem uobis praescribimus, annexum habet, ad omne uirtutis studium alii animos, ad temperantiam, ad fortitudinem, ad omnem honestatis partem mirabiliter inflammari: Praestantiam in consulendo, in dicendo eloquentiam, in rebus gerendis sollicitiam haud mediocriter eo adiuuari.

Sed & illud silentio minime praetereundum, nisi honestis his studiis & exercitationibus scholasticis assidue occupentur studiosi adolescentes, contempta uirtute, somno ac libidini adolescentum animos seruituros. Neque enim uirtus ibi habere locum potest, ubi uoluptas dominatur: Nec potest non dominari uoluptas, ubi spreto honestis literarum exercitiis, turpis ignauia desidiaque iuuenum animos, praesertim nobilium ac diuitum, occuparit. Tales profecto qui in otio ita flore iuuentutis suae turpiter prodigunt, licet studiosorum nomen gerant, ita tamen se, quod ad ipsos attinet, comparant, ut nullum sit scelus tam audax, nullum tam execrandum facinus, ad quod perpetrandum idonei esse non possint. Furta enim, caedes, rapinae, effrenatae libidines, adulteria, sacrilegia, patriae prodiones, & id genus alia facinora, non ex alio fonte copiosius, quam ex otio oriuntur: Ut celebris ille Atheniensium legis lator Draco, quondam eos qui otii damnati forent, capite

C ij mulctandos,

ORATIO DE CVRSV PHILOSO-
mulctandos, seuerè quidem, sed fortassis non inutiliter
censuerit.

Cum itaq; ex hoc inerti studiosorum otio, tam multa nascantur incommoda, nemo profectò sat dignè hunc nostrum docendi & discendi ordinem præstantissimum, cuius beneficio tam sæua peste adolescentium animi liberantur, laudare poterit.

Alexandrum certè Macedonem illum, cui bellorum gloria Magni cognomen in perpetuum confirmauit, cum Rhodum uenisset, nihil aliud commouit, ut in illa urbe clarissima, cum gloria nauali, tum optimarum artium studijs, & summis hominum ingenijs florente, commoraretur, et omnes liberalium artium doctores, de suis quæq; rebus, & amicè & diligenter audiret, & unicuiq; talentum dari iuberet, quàm summus ille tradendarum & explicandarum disciplinarum ordo, quem à doctissimis illis uiris diligentissimè seruari cõspiciebat.

Quid maiorum ætate Romanam illam Scholam, Græcis doctoribus abundantem, sempiterna laude commendauit, quàm quod in Capitolio tres haberet oratores, decem Grammaticos, quinque Dialecticos, Philosophum unum, duos Iuris professores, in separatissimis auditorijs ordine optimo legentes? Intelligebant utiq; uiri illi diuina mente & consilio præditi, disparibus ætatibus disparia conuenire studia.

Equidem, si fieri posset, Auditores, ut professorum ueterum aliqui, qui maiorum memoria floruerunt, & mortuis

mortuis excitati, de ordine studiorum rectissimo uerba facerent, hunc ipsum, creditote mihi, quem nunc uobis prædicamus, prædicarent & ipsi: Hunc ipsum & non alium, tanquam utilissimum studij scilicet uestris conuenientissimum, uobis commendarent: Hunc ipsum, eorum quoque ætate, magno cum fructu obseruatum, uno ore, editaque uoce, inquam, testarentur ueteres illi celebresque Philosophiæ doctores. Hoc Malchio ille Græcè doctissimus, qui Scholæ Antiochenæ præfuit, confirmaret: Hoc Oecumenius doctor eximius, qui in Bizantino Gymnasio, sacris simul & philosophicis studijs ad deum sedulo erudiebat discipulos, ut ex sua schola, grauissimo imperatorum iudicio, Rerum publicarum gubernaculis, plurimi præficerentur, cum 12. Collegis approbaret: Hoc Sopater nobilis philosophus, qui sub Constantino Imp: rebus gestis clarissimo, Scholæ Politinianæ sapienter præfuit, prædicaret.

Miramur Theophrastum illum, qui à diuinitate loquendi nomen inuenit, Aristotelis summi Philosophi discipulum, tanta frequentia docuisse, ut duo auditorum millia habuisse dicatur: Id autem non alia ratione quam hoc ipso nostro, quem commendamus, plano & accommodato docendi ordine consecutus est.

Prædicamus Polemonem Atheniensem philosophum, cuius audiendi tanto studio discipuli inflammabantur, ut cum in horto philosopharetur, paruis tuguriolis constructis propè scholam habitarent plurimi: Excitabat autem & ipsos aliud nihil, quam summa illa

ORATIO DE CVRSV PHILOSOPHI
philosophi in docendo grauitas, ordo & ^{εὐταγία}, cum
singulari quadam prudentia coniuncta.

Summa demum consensione & conspiratione in
hanc descendunt sententiam, antiquissimæ & florentis-
sime Gallie Academiæ; hoc Aurelianense Gymnas-
ium, hoc Bituricense, hoc Burdegalense, hoc Parrhisia-
ense, hoc Pictauiense, hoc Tolosanum probat, docet,
confirmat.

Amplissima quoque et antiquissima Hispaniæ Gys-
mnasia, Toletanum, Complutense, Salmanticense
(ex quibus complures uiri, doctrina & optimarum ar-
tium studijs eruditissimi, quotidie prodeunt) id ipsum
loquuntur.

Nihil dicam de uetustissimis Italiæ Gymnasijs, Bono-
niensi, Patauino, Ferrariensi; Taceo Romanam illam
Academiam ex Athenarum reliquijs traductam Anno
Domini 700, Eugobini uero Papæ eius nominis IIII
ab interitu uindicatam.

Prætereo lubens complures alias Italiæ, studios-
rum humanitatis & excellentis cuiusdam eruditionis
publicas ueluti officinas, in quibus excellentes inges-
nio uiri floruerunt dominati que sunt: Quos si quis
adeat, intelliget profecto nihil ab illorum ordine &
cursu studiorum nos uobis alienum præscribere.

Intueamini quoque, Auditores, unam mecum, quæ-
so parumper, Germaniæ nostræ uetustissima doctri-
narum domicilia: Circumspicite omnes ueterum om-
nium communes exercitationes, & nihil præter alios
rum

rum consuetudinem nos tentare in ueritate cognosce-
tis. Annon Coloniensis Academia, Viennensis, Lo-
uaniensis, quæ & copia eruditorum uirorum, & stu-
diosorum frequentia semper floruerunt, hunc nostrū,
aut non disparem certè docendarum tradendarumq̃
disciplinarum modum religiosissimè colunt, obser-
nant & predicant. Testes sunt uiri doctissimi, qui ex
illis literarum emporijs, admirabili ingeniorum pru-
dentia & celeritate, solida cumulatâq̃ omnium rerum,
omniumq̃ ingenuarum artium cognitione instructi
emerferunt: Ex quorum numero aliquos insigni doc-
trina conspicuos, in hoc ipso confessu oculis uestris
expositos cernitis.

Quid porro illud est Auditores, Quantam uim,
quantum momentum apud Christianum hominem
habere debet, quòd uideamus quotidie eos, qui se à
nobis segregauerunt, tanto studio ac diligentia ordi-
ne certo iuuentutem erudire, ut turpe admodum sit,
imò propè flagitiosum, nos homines Catholicos in
causa Dei, ab Ecclesiæ hostib. in scelere, studio & indu-
stria superari. Quòd si Basiliense studium, Franckfor-
diense, Lipsense, Heydelbergense, Thubingense, Ar-
gentinense, animo & cogitatione paulò attentius lust-
rauerimus, uidebimus profectò, Grammaticâ, Humas-
nitatem, Rhetoricam, Græcas literas, cæteraq̃ studia
quæ digna iudicant, in quibus elaborent, distinctè per-
tractari: Neq̃ ulli temerè licere alijs facultatib⁹ permix-
tim operam dare, priusquam præclare sit in illis studijs,
qui

ORATIO DE CVRSV PHILOSO-

quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, diu multumq̄ uersatus: Quo certè uel illud unum consequuntur, ut semper paratos quosdam homines improbos habeant, qui se impiè nefarieq̄ Christianæ religionis propugnatoribus opponere audeant.

Qua propter si ad ueterem Christianam religionem funditus euertendam tantum studij ac industriæ collocant aduersarij, Quantum nos, quæso, Auditores, qui Christiani sumus et dicimur, ad defendendam eam laboris adferre debebimus? Si ad delendum penitus Catholicæ, Romanæq̄ Ecclesiæ & religionis nomen tantum contendunt homines malè feriat, quantum nos ad illud ipsum ab interitu strenuè uendicandum labore, studio, diligentia aduigilare conueniet? Si, ut nos auitis bonis & maiorum gloria ignominiosè excludant, nihil non pertentant, quo animo tandem nos esse oportebit, ut tam insigne patrimonium, maiorum industria partum, nobisc̄ relictum, tueamur, defendamus & propugnemus?

Agite igitur Ornatiss: studiosi, per Deum immortalem, & postliminio redditum uobis ueterem ordinem, optimum ordinem, studijs uestris conuenientiss. ordinem, hilari fronte, optimaq̄ uoluntate suscipite: Nec sit graue, quæso, uel molestum uobis, ad illam studiorum rationem saluberrimam, ordinem & ^{εὐταξίαν} omni laude sempiternaq̄ gloria dignissimam, totos uos transferre, quæ profectò plus commodi & utilitatis anno uno adferet, quàm perturbata & confusa studendi

studendi ratio, plurimis annis parare potuisset.

Nec absterrere uos patiamini, nouitatis opinionem, quam aliqui huic ordini studiorum conciliare passim satagunt, cum quæ nomine sereniss. Ducis uobis præscribimus, minimè noua, Sed ab antiquis illis philosophiæ Doctoribus, iam olim salubriter decreta fuerint.

Nec terreat uos alienæ, ornatiss. studiosi, uanus examinis cuiusdam, quod initio huius Reformationis subire debeatis, sparsus rumusculus. Examen n. futurum nullum est (mihi credite) si unicum hoc à uobis, uti plane nobis pollicemur, obtinuerimus, ne deuij & uagi, ad negligentiam, torpiditatem, & alienas à studijs uoluptates ac uitæ licentiam maximam dilabamini: Sed unusquisq; uel arbitrio suo, si tantum sibi fidit, uel cū consilio præceptorum, quas maximè conuenire sibi lectiones iudicauerit, diligenter audiendas elegerit & proposuerit: liberum uobis id relinquimus, ornatiss. iuuenes, ut quas uelitis, utilesq; uobis depræhenderitis, audire liceat lectiões: audiatis modò, sed diligenter, sed continuè, & sine intermissione. Quid desideratis amplius?

Et ut ad uos quoq; sermonem meum conuertam, ornatissimi studiosi, qui prouectioris iam ætatis & eruditionis estis: uel qui fortè ad gradus philosophicos nō aspiratis: nec non qui superiori facultatum uni uos totos addixistis: nihil hic ordo studiorum à nobis præ-

D scrio

ORATIO DE CURSV PHILOSO-

scriptus uos perturbet angatq̄, cum ad uos, nisi quis sua sponte fortè illi sese subiicere uelit, pertineat nihil: sed ad eos tantùm, qui in Grammaticæ & humanitatis rudimentis adhuc hærent: Item eos, qui longius quidè progressi, sed philosophiæ studijs solidè animum excollere, foeliciter in ijs progredi, ac tandem etiam gradibus philosophicis ornari cupiunt. Cum ijs nobis res est, ornatis, studiosi, solis, ita tamen ut nec illos (præsertim si fortè nec ad gradus adspirent, nec domi idoneis sint destituti præceptoribus) ui quasi coactos & compulsofos, sed potius benignè ac paternè ad publicas hæc cursus philosophici et Pædagogij lectiones inuitatos cupiamus.

In quo etiam Pædagogio, quicquid obganniant aliqui, studiosi Adolescentes non uerberibus, non ferula particularium scholarum, non seruiliter, non aliter quàm decet ingenuos adolescentes, non præter receptam huius liberæ & publicæ scholæ consuetudinè duriter, sed eadè & maiore fortasse, quàm antehac unquam, tractabuntur humanitate: Ne quisquam ueteri studiosorum libertati aliquid derogatum iure merito conqueri possit, sed suis, omnes albo Academiæ inscripti ciues, gaudeant fruanturq̄ in posterum immunitatibus & priuilegijs, non minus quàm gauisi sunt hætenus: sed nec in promotionibus maiore, quàm hætenus, sentient difficultatem Candidati: Cum & totus philosophiæ Cursus, qui antea multis uix perficiebatur an-

nis

O RATIO DE CVRSV PHILOSO- 13

nis, nunc longè breuiore spatio absoluetur, et hoc nomine Candidati graduum, si rem recta reputent uia, nō solum paratiores doctioresq; ex hoc præscripto ordine ad gradus tam Baccalaureatus quàm Magisterij accessuri, uerum etiam eos breuiore, quàm antea, temporis interuallo, dignè consecuturi sint.

Quid multa? Ornatiss. studiosi, toto hoc docendi & discendi ordine, quem uobis commendamus, reuera aliud nihil, quàm honor & amplificatio Gymnasij huius, utilitas & profectus studiosorum, qui nunc in eo discendi gratia uersantur, uersabunturq; deinceps, salus uestra quaeritur: Hic est scopus & non alius consiliorum nostrorum huc tendit serenis. Dux: hoc uenatur Mag. Rector: hoc Ampliss. senatus Academicus: non priuatum, sed uestrum, sed publicum commodum. Neq; enim nostra, sed uestra hic res agitur non nobis, sed uobis hic seritur & metitur, uobis, nō nobis prodesse: uobis uestrisq; studijs consulere: uobis magnos in artibus liberalibus & philosophia progressus faciendi ueram uiam & methodum demonstrare animus nobis est: Ut ita sensim & gradatim plana, leui & expedita uia ordinis recti, in cultu animorum uestrorum progredientes, unde quaq; & ingenijs & moribus ad maturitatem & perfectionem, naturæ uestræ consentaneam, Deo acceptam, uobis & communi uitæ salutarem tempestiuè elaboremur.

Quem quidē optimum finē ut eò scilicet consequi

D ij pos

PHICO ET PAEDAGOGIO. 10

polsimus, serenifs. ac Illustrifs. Princeps noster adhibitis in consilium prudentissimis doctissimisq; uiris, certum quendam docendi & discendi philosophica studia, animosq; ad superiores facultates præparandi, ordinem præscripsit, quem partim nunc attigi, sed paulò post typis excusum & uberius declaratum, uenalem proflare uidebitis. Eius generis autem est, quò gustum saltem aliquem nunc uobis præbeam, ut iure merito nec professoribus grauis nec studiosis ingratus esse debeat.

Nam cum Moralis philosophiæ, Mathematicæ, Græcarum & Hebraicarum literarum, Poëseos, lectiões, Professores ij, qui hæctenus eis cum laude præfuerunt, retenturi, singulisq; diebus, more uetere & recepto, una hora lecturus sit unusquisq;: Sic Serenifs. Duci nostro operas partiri placuit, ut reliquam, & eam quidem studiorum professionumq; partem, quæ maioribus cum sudoribus & difficultatibus coniuncta est, quæq; cum non unica hora diei tantum, sed integra ferme die, integrum quoq; hominem requirat, ab ijs qui uxorem, liberos, familiam domi habent, ideoq; cura rei domesticæ, alijsq; sollicitudinibus huius sæculi non possunt non distrahi, tam commodè uix ad ministrari posse uideretur, uidelicet, cursus philosophici & Pædagogij curam Reuerēdis & Doctissi. patribus Societatis nominis Iesu, qui ab omnibus alijs curis & negotijs liberi, toti huic rei soli uacare possent, & in alijs

ORATIO DE CVRSV PHILOSO- 14

lijs celeberrimis Gymnasijs, summa cum laude maxi-
 moq; cum fructu uacant, committendam quoq; iudic-
 caret: Hocq; nomine, cum Reuerendo ipsorum Pa-
 tre Generali, Romæ commorante, diligenter agi ius-
 sit: Ac, quod foelix faustumq; sit Reip: nostræ literariæ,
 quem sperauit obtinuit consensum. Poterant fortè bo-
 ni Patres, laboribus illis, quos, qui quid sit, tota die, in
 palæstra scholastica, cum tot & diuersis ingenijs con-
 flicteri, rectè perpenderit, immensos esse, non negaues-
 rit, si tranquillitati suæ potius, quàm publicæ utilitati,
 prospicere uoluissent, carere facili: At uicit eos serenifs.
 Ducis uocantis petentisq; autoritas: uicit ingens ne-
 cessitas, & quæ indubitato speratur, euidentis utilitas.
 Quæ cum hoc ipsum exigere quasi ab illis uiderentur:
 indignum Sancta Societate tam piè quàm prudenter
 iudicauerunt, ijs in locis, in quib. certam firmamq; sedem
 fixere, operam suam requisitam Reipub. denegare: ac
 tanto quidem magis, quod indies socios fratresq; suos
 ablegare non desinant, ad remotissimas insulas, et fis-
 nes orbis terrarum, adeoq; ipsam sæpè certissimam
 mortem, quam, Christo uires suppeditante, plurimi eor-
 um, pro Philosophia Christiana, alacri animo oppetis-
 erunt.

Cui rei, ne plura repetam, amplissimo potest esse
 testimonio, id quod anno superiore in Canarijs insulis
 gestum est. Cum enim ad diffundendam Euangelij lu-
 cem, Patres ex ueneranda hac Societate, quadraginta

D iij nume

numero, infulam Brasiliam contenderent: intercepti à Jacobo Soria archipyrhata, Catholicæ religionis hoste acerbissimo, miserabiliter, ad unum omnes trucidati fuere. Is enim Soria quamprimum ipsos habuit in conspectu, in clamans suos satellites: Mactate, mactate, inquit, presbyteros istos: nam petunt Brasiliam ad seminandam falsam doctrinam. Itaq; primus arripitur Ignatius quidam Asebedo, dux eorum & prouinciae Brasiliæ præpositus, quem unà cum alio sacerdote ipsi adiuncto, aliquoties lancea transuerberatum in mare deturbant. In reliquos autem eadem immanitate sæuitum est, hoc ordine, ut bini terniue in proam adducti, primum quidem pugione iterum atq; iterum traicerentur, tum uerò & brachijs mutilati, similiter de nauib. in mare præcipitentur. Sed hæc, nescio quomodo, præter institutum nostrum attigimus: nec ego quicquã hic cuiusquam aurib. dare uelim: illud tamen, cum occasio sic ferat, tacere non possum, nec debeo fortassis: Quin etiam uel me tacente, præter Gymnasia illa apud remotissimas & barbaras gentes, à patribus Societatis erecta, Colonia studiorum parens, Moguntia, Treueris, Oenipontum, Dilinga, Vienna, Præga, Monachium nostrum, plurimæq; aliæ urbes, in quibus Patrum istorum Collegia diuina prouidentia constructa sunt, testantur, & in oculis uniuersi orbis modò non edita uoce clamant, quid quærant, Deiq; gratia præstiterint hætenus, & præstent etiamnum.

Nimis

ORATIO DE CVRSV PHILOSO-15

Nimirum hoc cunum perpetuò agunt, huc omnes causas, cogitationes, & consilia sua referunt, ut, quoad eius fieri potest, homines sceleratos cum Deo in gratiã reducant: in fide Catholica minus firmos stabiliant: colapsos iam, & in Herefeseon luto hærentes expediant, erigantq̃: tum uerò studiosam iuuentutem, in Artibus liberalibus, in solida Philosophia, in Sacris literis, piè atq̃ religiosè, fide summa, dexteritate incredibili, erudiant, instituant, ac ad omne decus conforment. Quæ quidem omnia tametsi in medio posita sunt, atq̃ ob oculos, & in conspectu publico ita uersantur, ut nemo nõ apertissimè cernere possit: si qui tamè odio ac liuore excæcati, tam sanctum institutum in simulare ausint, in hos, profectò Venerandi patres illi optimo iure usurpabunt id, quod olim à Samuele dictum est, cum is suam innocentiam & incorruptam æquitatem uniuerso pop. Israëlitico probare uellet: Ecce, inquit, præsto sum, loquimini de me coràm domino, & coràm Christo eius, utrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum: Si quempiam calumniatus sum: Si oppressi aliquem: Si de manu cuiuscq̃ munus accepi: & contemnã illud, hodieq̃ restituaui uobis. Quæ enim à Catholico Principe nostro, aut ab alijs pijs hominibus non ad luxum & uoluptates, à quibus uel maximè sunt alieni, sed ad uictum & uitam sobriè ac moderatè sustentandam, ipsis, uelut bobus triturantibus suppedistantur, ea omnia in usus Reipub. salutare exponunt &

ORATIO DE CURSV PHILOSO-

& dispensant. Atq; cum, Ornatissime confessus, non uestra, sed uos ipsos quærant, & Christo lucrifacere contentur, facile illi (mihi credite) & dignitates, & si qui sunt in Repub. principatus atq; eminentias, & uestros illos honores adumbratos aspernantur: facile isthæc omnia, in quibus consecrandis uulgus mortalium mirabiliter æstuat, ludibrio, & contemptui habent: ut qui ardentissimo Catholicæ Religionis Zelo in flammam, charitateq; Christiana impulsus, nihil industria, nihil opera, nihil laboris & molestiarum sibi reliquum faciunt, ad uestram salutem omnibus modis curandam, & promouendam: hanc solum exoptant, Auditores, hanc ut quærant, instituti ipsorum religio exigit: in hac salute uestra, fortunas, honores, uoluptates, deliciasq; omnes suas collocarunt, illam unice desiderant, illam amant, illam omnibus suis curis, uigilijs, cogitationibus, uitæ denique ipsi quasi finem constituent: huc etiam (nisi totus fallor) Collegij Societatis in hac celeberrima Academia constructio, spectat: huc iuuentutis egregia institutio: huc cursus philosophicus: huc Pedagogium, quæ nunc publicamus.

Hoc eodem fine, quem in omnibus suis consilijs & actionibus homines uere pii propositum sibi habere debent, Serenissimo quoq; Duci nostro, cum hoc nomine apud superiores eorum instaret, in hac Rep. literaria operam suam addixere: Addixere quidem, at non sibi, sed uobis Ornatissimi studiosi: non pri-

priuatis, sed publicis, sed uestris, sed Gymnasijs commo-
dis seruientes: non propriam, sed Dei opt. Max: &
secundum Deum Academiae Ingolstadiensis, uestro-
rumq; omnium gloriam quærentes: Nec præmium
aliquod lucrumue temporale inde uenantes: Nisi
quis illud fortè lucrum abundè magnū dixerit, quod
utingenia uestra, ornatissimi Studiosi, optimis artibus
perpolient & exornabunt, sic mentem atq; uolunta-
tem grauissimis, & saluberrimis omnis pietatis, & ho-
nestatis, præceptionibus ac sententijs, quibus ceu solis-
dissimo quodam fundamento, uniuersa in sequens uis-
ta, nitatur, munient atq; corroborabunt. At uos in
eo ætatis gradu iam constitutos, qui maxime procli-
uis est, & tantum non præcipitium quoddam in om-
nis generis turpitudines, cum à prauis quibuscunq;
appetitionibus auocabunt, tum liberalium disciplina-
rum studijs, exercitijs, contemplationibus & occupa-
tionibus assiduis quidem, sed multò iucundissimis,
illud apud animos uestros efficient, ne potius distor-
tis cogitationibus & cupiditatibus, quas belluarum
impetus persequitur, quàm rectæ rationi ac Virtuti lo-
cus relinquatur. Magni reuera lucri loco hoc habe-
bunt Patres, quod etiam ueluti finem, ad quem, tam
Cursu quàm Pædagogio, omnibusq; consilijs suis,
ueluti ad scopum colliment, propositum habebunt.

Vos modò, Ornatissimi studiosi, ij præsertim, qui
in philosophiæ studio, cum fructu currere optatis, quod

E in

ORATIO DE CVRSV PHILOSO-

in uestri gratiam potissimum captum est, æquis gratisq; animis accipite; quod Sereniss. Dux noster; quod Magnificus Rector uester, quod amplissimus Senatus Academicus comprobauit, studijsq; uestris quàm maximè expedire grauissimè iudicauit, Hoc uos temerè non improbetis, non reijciatis, non respuatis quæso: Non eò imprudentiæ, ne dicam impietatis, prolabamini, ut iudicio tot prudentissimorum & omnigenere eruditionis eminentissimorum uirorum, iudicium uestrum anteponatis: Vos, plusquam illos, sapere temerè uobis persuadeatis. Quin potius, quod & ingenuos studiosos cumprimis decet, et pietas, ipsaq; honestas à uobis exigit, in spiritu humilitatis, Magistratui, præceptoribusq; uestris uos totos subiicite: Quem ipsi docendi discendiq; ordinem uobis præscripserint, quod ipsi constiuerint, quod ipsi studijs uestris profuturum decreuerint, hoc uerum, hoc rectum, hoc studijs uestris salutare & conuenientissimum statuite & ipsi: docentibus ijs aures benignas præbete, Professores Pædagogij & cursus, qui ut de uobis, studijsq; uestris optimè mereantur, omnibus ingenij & animi uiribus contendent, tanquam patres uestros, non secus quàm alios professores, mutua complectimini beneuolentia, adeoq; re ipsa & opere testemini uos non feroces & agrestes, sed ingenuos, liberales, Humanitatisq; artibus & disciplinis excultos esse: Quod si, Auditores, uti planè nobis pollicemur, studiose id feceritis, cum
studia

PHICO ET PAEDAGOGIO. 19

studia uestra, ad optatum, Deo propitio, finem foelicis-
ter, magnoq; cum fructu perducetis, tum si, modo
uolueritis ipsi, gradus & testimonium, eruditione ue-
stra dignu, non ut illi qui nunquam in acie steterunt,
nunquam castra uiderunt, nunquam deniq; cum hos-
tibus congressi sunt, sed uestro quodam merito & ius-
re optimo, publice in hoc celeberr: Gymnasio conse-
quemini, adeoq; in eos euadetis uiros, qui Eccl. et Reip.
olim magno usui, patriae honori, uobis ipsis utiles, a-
micis, parentibus, familijs uestris ornamento & es-
molumento maximo esse possitis: Quod faxit
pro sua inexhausta bonitate, Deus Trinus et
unus, qui est benedictus in saecula
saeculorum: Amen.

DIXI.

ERRATA SIC

corriganur.

Fol. 3, B. lin. 8. Comparanda, lege comparatur. fol. 6. A.
lin. 25. illi. lege, illos. eod. fol. lin. 26. uenerandi, lege. ue-
nerandos. eod. fol. & lin. nostri, lege nostros.


PHILICO ET PATERBODGIO


quibusdam locis ubi prope sunt
 et magis sunt in partibus...
 quibusdam locis ubi prope sunt...
 quibusdam locis ubi prope sunt...
 quibusdam locis ubi prope sunt...
 quibusdam locis ubi prope sunt...
 quibusdam locis ubi prope sunt...
 quibusdam locis ubi prope sunt...
 quibusdam locis ubi prope sunt...
 quibusdam locis ubi prope sunt...


DIXI

ERRATA SIC

Fol. 11. lin. 5. Composita sunt in sequenti fol. 6. A.
 sunt illi loci, ubi ob solam in sequenti...
 versandos. col. 1. lin. 1. in sequenti...









Orat
da

38